Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Theologica polemica, dogmatica, speculativa et moralis- Cod. Ettenheim-Münster 255

Bulffer, Gervas

[S.l.], 1788

Instructiones

urn:nbn:de:bsz:31-128404

Visual Library

N. 595.

Instructiones

Valde utiles et necessario pro dispensatione votorum solemnium à Summo Pontifice Pio VI. vienna anno 1782. dato.

Epistola

Mathiae Francisci Episcopi Brünensis ad Pium VI. Pontificem vienna commorantem in causa Monasteriorum jussu Augustissimi Imperatoris in sua diaecesi sublatorum.

Beatissime Pater!

Sustulit augustissimus terra Princeps noster mea in diaecesi tria Regularium monasteria, unum Carthusianorum, alterum Monialium ordinis S. Francisci dictarum Franciscanarum, tertium Monialium Sto Claro.

Optio quidem Carthusianis relicta fuit, vel extra terras austriacas ad aliam Carthusiam migrare, vel intra eas aliud religiosum institutum amplecti, vel ad statum secularem transire. Sed primo casu solum ipsis promissum est viaticum,

nulla verò ulterior vitæ sustentatio. casu altero pro annua unius sustentatione designati sunt 200. floreni imperiales dicti. ad statum secularem transituri pensione annua 300. florenorum gaudebunt. par ferè optio data fuit monialibus hoc etiam addito, quod istæ secularem aliquam domum sibi eligere possent, in qua sub directione cuiusdam secularis presbyteri ex pensione sibi assignanda comuniter vivant.

Facta dictorum Monasteriorum abrogatione decretum aulicum mediante Provinciæ gubernio mihi comunicatum fuit, quo Regulares utriusq; sexûs (: non tantum illorum Monasteriorum, quæ de facto sublata sunt, sed indiscriminatim, qui à votis suis solvi cupiunt :) jubentur ad proprios suos Episcopos dirigi, et quod hos desideratam dispensationem evincere.

Non adeo multis post diebus monitus sum à Regiis comissariis in negotiis sublatarum Monasteriorum constitutis, ut diem indicarem, quâ Carthusiani secularisati fuerint.

Tandem ipsi Patres Carthusiani preces suas, quibus ad statum presbyterorum secularium transferri rogant, re ipsa mihi porrexerunt, quorum similes tum à Carthusianis Laicis, tum à supra memoratis Monialibus quasi in horas exspecto.

His rerum adjunctis coordinatus considerabam
ex parte una fortissimum esse professionis vinculum,
huius modi solutionem sedi apostolicæ reservatam,
altera ex parte regulares illos ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ quibus supremi Principis
authoritate jam jam interdictum est, in terris austri-
acis more carthusianorum vivendi, adstringi non
posse, sive ut alterius ordinis institutum profiteantur
sive ut suum, quod professi sunt, prosequendi gratia
ad terras exteras migrent cum incertitudine pro-
sertim cum ibi recipiantur, et si non recipiantur, cum
periculo necessario sustentationis admittendæ.

Implorato igitur Divino Nomine, aliis viris doctis
et probis consultis, in Divina clementia et tacito
Sanctitatis vestræ consensu confisus istud egi, ut
nullatenus via dispensationis, sed simplicis declara-
tionis procedam:

Declaravi nempe, quod fratres dicti carthusiani ex
causis non adductis ab observandis ordinis sui
statutis liberi sint, et ad statum presbyterorum
secularium transire, et in eo sub obedientia
ordinarij remanente voto castitatis, et obser-
vato, quantum in dicto statu seculari fieri potest
voto paupertatis, superflua præsertim in pauperes
aut alias pias causas impendendo, vivere possint,

adjecta adhortatione, ut memores accepti primi propositi sui à concepto sancto religionis fervore non deciscant, sed potius de virtute in virtutem progredi contendant.

Humillimè jam supplico, dignetur sanctitas vestra circa Carthusianos presbyteros à me jam factam et tam circa Carthusianos Laicos, quam sublatorum Monasteriorum moniales similiter faciendam declarationem ratam habere ac confirmare. porrò in casus futuros si vel plura vegularium Monasteria et conventus deinceps authoritate Principis terræ tollerentur, vel si Regularium aliqui, quorum Monasteria in terris austriacis etiam in futurum subsistunt, conformiter decreto Regio supra memorato, singulatim pro solutione votorum Religiosorum apud me instarent, vel si non multi eorum sive earum, quorum Monasteria jam sublata sunt, dispensationem in voto castitatis et paupertatis, vel saltem licentiam condendi testamenti à me petierint, pro his et eiusmodi casibus mihi necessarias et opportunas facultates à Sanctitate vestra providè concedi, vel de alio necessario et opportuno remedio prospici suppliciter rogo, qui humili et sincero pedum osculo gratiam et benedictionem apostolicam implorans persevero

Brunæ 2da martij
1782.

Sanctitatis vestræ
humillimus et obedientissimus
filius et creatura Mathias Franciscus
Episcopus Brunensis.